

prima questione <vii.>⁶⁾, quod illud, quod pro remedio aut necessitate temporis statutum est, constat primitus non fuisse. Quod ergo necessitas pro remedio statuit, cessante necessitate debet pariter cessare quod urgebat. Tertio, quia tale privilegium, scilicet quod^{a)} posset imperator papam eligere, intelligitur esse datum illis imperatoribus, qui impetrare potuerunt, <personaliter>, sicut dicitur in decretis xxiii. di. *In nomine*⁷⁾, ubi dicitur, quod anno domini MLVIII^{b)} Nicholaus papa statuit, quod eligatur papa de ipsius ecclesie gremio, si inveniatur ydoneus; salvo debito honore et reverentia dilecti filii Henrici, qui inpresentiarum rex habetur et futurus imperator deo concedente speratur, sicut enim iam sibi concessimus et successoribus eius, qui ab hac apostolica sede personaliter hoc ius impetraverunt. Glosa⁸⁾: 'Ex his verbis apparet hoc privilegium personale fuisse <et ideo> non ad alios prorogari, ff. de censibus. *Etatem*⁹⁾.'

cap. 199 Quod imperator renuntiavit privilegio^{a)} pape¹⁾.

Quarto, quia^{b)} imperatores isti privilegio renuntiaverunt et plura ecclesie donaverunt. Unde dicitur in decretis lxiii. di. *Cum Adrianus*²⁾, quod cum Adrianus secundus electus fuisset in summum pontificem, nec legati imperatoris Lodovici essent vocati, ne mos inollesceret legatos imperatorum ad <electionem> summi pontificis admitti. Ipse Lodovicus imperator huic privilegio renuntians statuit³⁾, ne aliquis Franchus vel Ytalicus vel alius quicumque privatim vel publice de electione pape se intromittat, sed cum electus more canonico fuerit et consecratus, legatos ad regem Franchorum sive Theutonicorum mittat, qui inter papam et imperatorem pacem faciant; et infra in eodem decreto⁴⁾: 'Ex his constitutionibus patet evidenter et ex pacto istius imperatoris Lodovici deprehenditur imperatores renuntiassent illis privilegiis, que de electione pape Adrianus summus pontifex Karulo magno imperatori concessit <et> ad eius^{c)} imitationem Leo papa Ottoni primo regi Theutonicorum fecerat.'

cap. 200 Quod pape potest contradici, quando concedit aliquid inordinate vel scribit.

Actor¹⁾: Quinta ratio esse potest, quod talia privilegia imperatoribus concessa nullius fuerunt roboris, quia papa aut patres in decretis et suis statutis multa scripserunt, que processerunt aut ex ignorantia scripturarum aut propter humanum timorem principum aut propter privatum amorem. Ideo eis et eorum scriptis est in fatiem contradicendum; sic enim Paulus apostolus videns, quod beatus Petrus summus pontifex aliqua dixerat, que non erant vera nec sustinenda, ipsi beato Petro in fatiem restitit²⁾ ipsumque redarguit, quia merito reprehensibilis erat et coegit ipsum beatum Petrum retractare, quia male locutus fuerat. Sic enim summi pontifices plura intelligentes multa scripta in decretis correxerunt in suis decretalibus et ordinaverunt, quod contraria pertinaciter asserentes heretici reputarentur³⁾.

a) quod scilicet *tr. BW* b) MLVIII *BW*

⁶⁾ C. 1 q. 7 c. 7. ⁷⁾ D. 23 c. 1 § 4. ⁸⁾ D. 23 c. 1 Gl. ad v. Personaliter. ⁹⁾ Dig. 50. 15. 3.

cap. 199 a) privilegia *B* b) quod *W* c) cuius *BW*

¹⁾ Vgl. *CM* cap. 577. ²⁾ D. 63 c. 29. ³⁾ D. 63 c. 30. ⁴⁾ D. 63 c. 34 dict. *Grat.*

cap. 200 ¹⁾ Vgl. *GA* cap. 59 *Anm.* 4. ²⁾ Vgl. *Gal.* 2, 11. ³⁾ Vgl. *Bonifaz VIII.*, *Asculia fili*; s. o. *GA* cap. 68 *Anm.* 4.